

DISSERTATIO HISTORICO- THEOLOGICA
DE
PRIMITIIS ET DECE
MIS HEBRAEORUM.

DECEMIS CHRISTIANORUM.

SUPREMI NUMINIS AUXILIO
IN ALMA LITTE
RUM ACADEMIA
SACRAE THEOLOGICAE
UNIVERSITATIS
ALMA MATER
DRESDENAE
PUBL. PER
MICHAEL
FRANCK
1771

ON. JOH. ANDR. QVENSIEDT,

THEOLOGICAE DOCTORIS, ET
PUBL. PER MICHAEL FRANK



in Auditorio I. prologorum.

in Auditorio I. prologorum.

in Auditorio I. prologorum.

in Auditorio I. prologorum.

in Auditorio I. prologorum.

in Auditorio I. prologorum.

in Auditorio I. prologorum.



I. N. J.
I.

De Primitiis Paschalibus & Pentecostalibus.

I.



9: Risci Romani, teste Plinio N. H.

Libr. XVIII. c. 2. *non gustabant novas fruges, aut vina, antequam sacerdotes primitias libassent.* Mutuati hoc sine dubio Gentiles sunt per κακοζηλίαν ab Israelitis. His enim ita per Moſen præcipit Dominus, Lev. XXIII. 10, seqq. *Cum ingressi fueritis terram, quam ego do vobis, & messueritis messem ejus, tunc*

offeretis Omer, sive manipulum primitiarum messis ad sacerdotem, qui elevabit omer coram Domino, ut sit acceptum pro vobis, altero die Sabbathi elevabit illud Sacerdos. Ubi observa (1) primitiarum offerendarum tempus generale, in verbis: *cum ingressi fueritis terram promissam.* Deut. XXVI. 1. additur; *& cum possederis eam, & habitaveris in eâ, tunc accipies de primitiis omnium fructum terre &c.* Unde colligimus, subactâ demum, & distributâ terrâ Canaan, Gentem Israeliticam ad legem hanc בכורי, sive primitiarum specialiter sic dictarum, & legem תרומת fuisse obligatam. Confer Deut. XII. 5. sq. In deserto non nascebantur fruges, quarum primitiæ offerri poterant. Hinc Lorinus Coment. in Levit. loc. jam adduct. p. 763. *Ante illud tempus, inquit, non poterat servari hoc præceptum, ac ne post ingressum quidem in terram promissionis, donec finitis bellis intra illam gestis, eâ pacificè potiti sunt* (2) *primitiarum tempus speciale, in verbis: cum messueritis messem ejus, h. e. metere volueritis.* Innuitur ergò tempus messem (imprimis hordaccam, quæ matureſcere incipit ante triticeam vide Polum

A a

ad

ad hl. & Joh. Lightfoot in Horis Hebr. ad Matth. XII. 1.) proxime
 præcedens, cum poterat *falx mitti in segetem*, ut explicatur Deut.
 XVI. 9. Unde etiam eodem v. 10. Lev. XXIII. *primitia messis* vid.
 subsequatur, appellantur. Unde concludimus: Primitias has fuis-
 se oblatas frugibus quidem maturitati proximis, vel ad messem jam
 maturis, nondum tamen demessis, nec elaboratis. Ante oblationem
 autem hanc מנחה seu manipuli primitiarum, illicitum erat messem
 demerere, teste Josepho Antiquit. Libr. III. cap. 10. imò ne vesci qui-
 dem spicis virentibus, vel jam maturas torrere, aut panem inde con-
 ficere licebat, per legem Levit. XXIII. 14. Verba Josephi Latio
 donata ita sonant: *Secunda azymorum die, quæ est mensis Nisan
 decima sexta, frugibus hætenus intactis incipiunt frui, scil. post se-
 paratum & oblatum Omer primitiarum, licet jam colonis $\text{דְּמוּדִיאָהֻ$
 הַגִּידִיאָהֻ דְּעֵיזְעֵי i. e. publicè privatimque metere.* Hinc quando
 leguntur discipuli Christi *vulsisse & comedisse spicas* Matth. XII. 1.
 Marc. II. 23. Luc. VI. 1. post oblatum Omer seu manipulum primi-
 tiarum illud factum esse manifestum est; aliàs enim hanc reprehen-
 dendi occasionem non neglexissent Pharisei, qui discipulos vio-
 lati Sabbathi accusabant. (3) Primitiarum *tempus specialissimum,*
 determinatur his verbis: *ab alterâ vel crastinâ die Sabbathi eleva-
 bit illud Sacerdos, v. 11. non crastinâ die Sabbathi hebdomatis ordi-
 narii; sed crastinâ post diem primum hebdomadæ Paschalis, quo &
 offerendas, & à Sacerdote agitandas fuisse primitias hæc, probatur
 ex vers. 15. collato cum v. 11. Fuit ergo is alter dies à primo Paschalis
 solemnitatis, seu à primo azymorum, & quidem speciatim dies de-
 cimus sextus mensis Nisan, qui inde דִּיבְרָן dictus est i. e. *mensis
 spicarum*, vel frumenti in spicam crescentis v. g. hordei spicati, &
 anni sacri mensium primus fuit ex Lege Exod. XII. 2. respondens fe-
 rè nostro Martio. Atque ita dies Nisan decimus sextus est ille, quem
 Moses loc. alleg. vocat crastinum, vel secundum Sabbathi sc. Pa-
 schæ: secundus nempe azymorum, $\text{דְּאַנְיָגָהֻ תְּבַכְּרָהֻ}$, LXX. reddunt,
 $\text{ἀπὸ τοῦ πρώτου τῆς ἑβδομάτης}$. Unde Sixtinus Amama in Commentariolo
 de decimis Mosaicis, Anti-Barbaro Biblico præmisso, Primitias ita
 definit: *Primitie erant frugum maturescantium, quarum Omer i. e.
 manipulum sacerdoti, altero festo Paschalis die nimirum XV. vel ut*
*alii**

alii numerant XVI. Martii s. Nisan (qui inde nomen Abib obtinuit) offerebant. Hæc oblatio messem præcedebat, unde primitiæ messis, è vestigio scilicet subsequente passim appellantur, ut v. gr. Lev. XXIII. 10. Hæc ille. Messis verò incipere solebat ut plurimum in terrâ Canaan post æquinoctium vernum, vel Mense Nisan, postquam sol in sidus arietis ingressus erat, ut Commentatur ad Levit. XXIII. R. Abarbanel. Quod si aliquando spicæ adhuc virebant in agro Hierosolymitano, cum adventaret iustum tempus Paschatis, vel manipulus frugum è vicinâ afferebatur, è regione Hieroschunticâ potissimum, in quâ ferè XV. diebus ante maturecebant segetes, quàm in solo Hierosolymitano, uti testatur ex Josepho Magnif. Dn. D. Calov; in Bibl. Illustr. ad Deut. XVI. vel addebatur isti anno mensis embolymæus, seu repetebatur denuo Februarius, quò maturescerent. Cujus rei gratia hoc diploma Synedrii ex Hierosol. Maater Scheni fol. 56. n. 3. Sanhedr. fol. 18. n. 4. producit Joh. Heinrich Otho in Lexico Rabbin. sub Primit: *Rabban Gamaliel cum Senioribus synedrii magni, fratribus nostris in Judæa & Galileâ salutem. Innotescat vobis, quod cum agni nimis sint teneri, & columbæ implumes, & non adsint fruges recentes, visum est nobis addere huic anno dies triginta.*

§. II. Viso tempore כּוּרִי paschalium materia sese offert excutienda. Moses loc. alleg. mentionem facit עֹמֶר, quæ vox duplicem significationem in Sacris Literis obtinet. Est enim Omer celeberrima & in scripturis decantata mensura, vel hoc nomine inelyta, quod singulis diebus in deserto tantum Manna in singula distribueretur capita, quantum continebat hæc mensura. Exod. XVI. 16. Quantitas ejus ab ipso Deo ibid. vers. ult. exprimitur: *Omer est decima pars Ephe.* Brian. Waltonus in Apparatu Biblic. tract. de Ponderibus & Mensuris addit fuisse *tantam mensuram, quantam quis etiam valde edax, & robustus uno die edere posset, quod colligitur ex ejusdem capituli v. 16.* Deinde significat etiam *manipulum* s. mergitem frumentorum, præsertim Deuter. XXIV. 19. Ruth. II. 15. Quæritur proinde quid Spiritus Sanctus h. l. per Omer intellectum voluerit? Quidam Omer hîc accipiunt pro mensurâ sc. granorum spicis excussorum, ut *Oleaster.* Nec ineptè ita sumi, ait

inferius IHS in Levit. loc. cit. pag. 691. Comment. in Pentat. Moſis, additâ hac ratione: *Siquidem manipulus ille collectus, non offerebatur ad altare unâ cum spicis & paleis, sed ut ait Joſephus (Libr. III. Antiq. Cap. X.) ſiccabatur primùm & deinde tundebatur, tandemq; furfurum excretionem repurgabatur, ſic enim Joſephi locum explicat &c.* LXX. Interpretes Philo & Rabbinî, quibus accedit noſter Lutherus *per manipulum* reddunt. Nos utramque ſententiam conſiſtere poſſe aſſerimus, quia faſciculus ſpicarum unus tot fermè grana, vel tantum hordei aut tritici continuit, quantum Omer capere potuit, conſentit R. Abarbanel verbis mox adducendis. Enaſcitur autem hic alia quæſtio, quam haud ſicco pede prætereundam eſſe arbitror, nempe an quivis colonus populi Iſraelitici, de quovis agro proprio, & de quovis frumenti recens nati genere has primitias paſchales offerre debuerit? Fatemur in textu noſtro Levit. XXIII. 10. *ceu propriâ paſchalium primitiarum ſede*, ad hanc quæſtionum nihil expreſſum reperiri. Hinc ſi Juſt. Joſep. Scaligerum audire malle- mus, affirmativa utique eſſet tenenda. Is enim in Opſc. variis Di- tribâ de Decimis in Lege Dei pag. 55. ſeq. offerenda hæc nimium am- plificat: *Omne eſculentum, dicens, terrâ natum, quod in conditis ſervatur, ut quæ in cellis, horreis, apothecis reponuntur hac lege te- netur: primò, ut ex eo primitiæ delibentur, ſecundò Theruma, tertio Decima.* Ubi dubio procul per primitias intelligit Paſchales, ut- pote Therumæ contradistinctas. Ab hujus Viri ſententiâ, quanquam quoad cætera ſatis congruâ, quoad has tamen Paſchales primitias li- bet nobis facere diſceſſum, & negativam tueri, ſalvò tamen judiciò, & authoritate Virorum doctiſſimorum, qui Scaligerum ſequuntur. Nam quando Levit. XXIII. 10. præceptum hoc *ad Filios Iſrael* diri- gitur, indigitatur *totus cætus* populi Iſraelitici, qui uno nomine ſeu conjunctim *altero die Sabbathi* hoc *וַי*, in ſingulari poſitum, ſeu unicum offerre debet, ut coram Deo agitetur, i. e. conſecretur, & divina benedictio pro instanti meſſe impetretur, non ut ſit *peculiaris portio* ſacerdotis, uti primitiæ Pentecoſtales verſ. 20. Adſunt & aliæ rationes, quæ mihi ſententiam Scaligeri dubiam faciunt; qui enim fieri potuit, ut *omnia βεῖα* in omnibus locis *Paleſtina* ad dictum diem ſecundum paſchatis eſſe matura, & *Hieroſolymam* apportari, &

& à כהן sacerdote in singulari eodem die agitari omnes potuerint?
Maximè verò hanc Legem Judæos ita intellexisse, *praxis & observa-*
rio eorum ostendit. Docet nempe R. Abarbanel l. c. *Manipulum*
spicarum, quæ decimam Ephæ partem, vel mensuram מדין reddide-
rint, fuisse oblatum; & quidem מדין ליהוה totius cætus nomine.

§ II. Quod attinet *ritum* hujus manipuli offerendi, fusiùs
eum delineat Ottho in Lex Rab. l. c. ex Maimonid de Oblat. cap. X. Pri-
mitiarum manipulus demessus fuit è valle Kedron, tanquam loco
urbi omnium proximo. Ceremonia demessionis ita peragebatur:
Legati Synedrui vesperâ primi diei festi Paschatos egrediebantur, &
spicas in manipulos colligabant, & versus terram incurvabant, ut
deinde eò commodiùs abscindi possent. Ex omnibus autem vicin-
is urbibus illuc confluebant, quasi res magno molimine peragen-
da esset. Cum jam vespersceret, dixit ille, qui ad demetendum
constitutus erat: *Occidit Sol.* Responderunt illi, *benè.* Item, *hac*
falee? R. *benè.* *Hoc Sabbatho,* R. *hoc Sabbatho.* *Metam?* R. *mete?*
Hæc ter ille, atque illi ter responderunt. Omnia hæc tanta *Φαυλα-*
σία fecerunt propter Sadduceos, qui negabant manipulum in ve-
sperâ diei Festi demeti debere. Quibus consona Excellentiss. Dn. Das-
fovius Poet. & Lingv. Or. Prof. Celeberrimus, Patronus & Præceptor
noster æternùm colendus in Coment. MS. ad Levit. Cap. II. tradit, &
quid postmodùm factum sit, ex Maimonide de Juge Sacrific. c. VII.
& Abarban. in Levit. fol. 233, docet: videlicet demessa tria sata hor-
dei s. *Epham* in atrio ventilabant, & torrebant in vase ferreo perfo-
rato super ignem, ac in atrio expandebant, ut ventus perflaret, &
postea in molâ crassâ molebant, decimamque Ephæ separabant, re-
liquo retento, & à quolibet comesto; deinceps decima separata
miscbatur logo olei, eique pugillus thuris imponebatur, ex quo fa-
rina similæ XIII. Cribris cribrata erat; Postea agitabatur in Oriente
hinc illinc, sursum deorsum; tandemque ante juge sacrificium ve-
spertinum pugillus offerebatur, reliquis à Sacerdotibus comestis.
Finis harum primitiarum Paschalium erat (ut observat D. Pelargus
Com. in Levit. C. XIII. p. 219.) ut (1) admonerentur Israelitæ de divi-
no novarum frugum benefició, & publicis impetrarent precibus in-
crementum, atque benedictionem futurae mellis, 2. ut cogèrentur legi-

סימנים

rimum messis ex pectare tempus, siquidem ante hanc oblationem, nulli licitum erat, vesci novis frugibus, ut supra dictum. 3.) ut ab hoc die, oblatione fasciculi sic insignito, Pentecostes festum numeraretur.

§. IV. Ut verò postridie Paschatos sive secundo Azymorum die, ad postulationem ut loquuntur Hebræi, h. e. ad petendum tempus idoneum, primitias messis subsequatur, sive manipulum novarum frugum, vel spicarum maturescantium rerum omnium auctori offerrebant, ac his oblatis falcem in segetem immittebant; ita quinquagesimo ab illo die, sive in Festo Pentecostes, messis in Palæstinâ claudebatur, & εἰς εὐχαριστίαν, sive in signum gratitudinis pro concessis frugibus Deo debitæ, singulis annis à Judæis offerebatur תְּרוּמָה (rad. רָוַם levatus, separatus fuit, hinc תְּרוּמָה separatio, oblatio, primitiæ quæ ex frugibus, aut aliis rebus separabantur, ut Domino offerrentur) & munus quoddam in templum, quod Græci ἀφαιρέμα μέγα vel ἀφορισμὸν μέγαν, Onkelos אִפְרִישְׁתָּה oblationem separatam, in usum Sacerdotum destinatam appellant. Nam à die Paschalis solemnitatis secundo, sive XVI. lunâ mensis Nisan seu Martii oblatis & elevatis, Omer septem septimanæ (in Hebræo est septem sabbatha: nam sabbathum subinde pro hebdomadâ sumitur, sic & in Evangelio, una vel prima Sabbathi, pro primâ die hebdomadæ ponitur) & proximè sequens hebdomadam septimam dies, nempe L. habendus pro solenni Pentecostali, seu primo in Festo septimanarum, vel quod idem est, in festo messis, scil. præteritæ aut absolutæ, sicut Pascha appellare licebat festum messis inchoatæ s. inchoandæ. Et hoc die πεντηκοστής offerendum erat munus novum Domino juxta legem Levit. XXIII. 15. Et numerabitis vobis à crastino Sabbathi, à die, quâ adduxistis Omer elevationis. Septem hebdomadæ consummate erunt v. 16. Usque ad crastinum hebdomadæ septimæ numerabitis quinquaginta dies, & offeretis munus novum Domino. Benè Joh. Lightfootus Hor. Hebraic. in Evang. Matthæi Cap. XII. v. 1. n. 2. Mutuo atque invicem se respexerunt dies manipuli, & dies Pentecostes. Die enim hanc Paschatos secundâ oblatio manipuli supplicatio-ria erat, & precatoria, benedictionem impetrans frugibus novis, veniamq; eas comedendi, & falcem in segetes immitterdi. Oblatio autem panem primitialium die Pentecostes Levit. XXIII. 15. 16. 17. gra-
tia-

ziarum actionem spectabat ob feliciter peractam & congestam messem
 hordaceam. Hac ergo relatione concatenatae erant duae hae solennitates,
 ut utraq; messem respiceret; illa ineuntem, haec finitam. Hac ab illa de-
 penderet, & post septem ab eo hebdomadas, numeraretur. Concinit B. D.
 Varenius Com. in Levit. ad Loc. cit. Loc. V. *Prout, inquit, in solempni Pa-
 schali, primitiae offerendae conjunctae erant cum precibus promesse futurae;*
 Ita in solempni *Pentecostali* Primitiae offerendae erant cum Evchnristia
 pro messe praeterita: atq; adeo ibi erant *δεντικα* sive *προσκευτικα*, hic
ὄχλαστικα. Solenne Hebdomadam incidit in sextum mensis *סיון*
Sivan, quod eam ob causam *ἑσθη τῆς πεντεκοστῆς* vocatur Act. II. 1. &
 propter oblationem ipsam dies & festum *בכורי*, seu primitiarum scil.
 de frugibus perfectis & elaboratis. Confirmat haec alia de hac Theruma
 Lex Deut. XVI. 9. *Septem septimanas numerato tibi, ex quo coeperit falx
 mitti in segetem* (scil. ad manipulum segetum, seu Omer primitiarum of-
 ferendum) v. 10. *Tum celebratis festum septem septimanarum πεντεκο-
 στῆς Domino Deo tuo, tributo & voluntaria oblatione manus tuae, quam da-
 bis, prout benedixerit tibi Jehova Deus tuus.* Huc pertinent verba Num.
 XXVIII. 26. *Et in die בכורי primitiarum, quando offeretis obla-
 tionem novam i. e. panes ex novis frugibus, ut exponit Vatablus, Domino
 in hebdomadibus vestris i. e. exactis septem hebdomadibus, quas numera-
 re debetis, juxta Levit. XXIII. 15. 16. Nam ב inponitur pro post, & de
 complemento accipitur ut h. l. & Es. XX. 1. Luc. IX. 36. c. XI. 37. docen-
 te B. Glassio Philol. S. Libr. III. tr. VI. can. 6. Addendus quoque locus
 est Deut. XXVI. 2. seqq. qui materiam harum primitiarum & ritum offe-
 rendi demonstrat, *Omnes scil. fructum terra;* non tres vel septem speci-
 es (quae recensentur in laudibus terrae Canaan, Deuter. VIII. 8. scil. *triti-
 cum, horedeum, uvae, ficus, malogranata, oliva, mel.*) ut vult R. Salomon
 Jarchi in v. 2. Cap. XXVI. Deuter. ad vocem *אשר* inquiring: *Non
 omnes fructus obligantur Therumae, sed septem saltem species, quem se-
 quuntur Drusius ad Matth. XXIII. Beza, aliique. Obstat enim hic
 locus noster, & obstat antiquissima illa Juris & Judaici regula: כל אכל
 : אדם הנושם שגדלו מן הארץ הייב בתרומה: Omnis Cibus ho-
 minis, qui asservatur, & cujus incrementum est e terra, obnoxius est obla-
 tionis f. Therumae.**

§. V. Quae pompam & ritum offerendi harum תרומה spe-
 ctant, sunt quaedam in SS. praescripta, quaedam ab hominibus superaddita

B

Omnes

Omnes urbes, quæ erant unius stationis seu ex quibus prodiit una ἐφθυσία Sacerdotum, collectæ sunt in urbem stationariam, & pernoctarunt in plateis: Manens, qui primus erat, dixit: *exurgite, ascendamus ad Sionem, ad domum Domini DEI nostri.* Bos præivit olivis coronatus, & cornibus inauratus. Cantarunt verba Psalmi gradualis: *ex hilaror cum dicentibus mihi in domum Domini ibimus,* & tibias inflarunt ante eos, usque dum appropinquarent Hierosolymam; cum appropinquassent coronarunt primitias suas, i. e. speciosas quantum fieri potuit conspectui exposuerunt. Et prodierunt in occursum iis primates, & summi officarii, & thesaurarii templi, idque in honorem accedentium. Atque omnes Opifices Hierosolymæ assurrexerunt iis, & salutarunt eos hoc modo: *O Fratres nostri incola urbis N. grati advenistis.* Deinde tibiis canebatur, & ad templum deducebantur. Ita hæc, quæ ad Judæorum traditiones spectant ex tract. Bicurim refert Otho Lex. Rabb. loc. d: addi potest Lightfoot in Decade Chorograph. S. Marco præmissa cap. IV. §. 6. DN. D. Sebast. Schmied. Disput. XX. Fascic. Disput. Theologico Philolog. §. 4. Quæ in Lege Deut. XXVI. circa ritus mandata sunt, explanat Dn. D. Varenus in Decad. Biblic. ad Levit. p. 143, ubi observat Primitias has (1.) à Colono Corbi imponendas fuisse, & in Corbi offerendas Sacerdoti, cujus tunc erat ἐφθυσία ad altare, unde v. 2. & 4. bis mentio נָבִיאִים corbis. (2.) offerendas fuisse cum præviâ & solenni Coloni protestatione, coram Sacerdote, cujus formula incipit ab נָבִיאִים vid. ibid. (3.) Post protestationem, corbem primitiarum tradendam fuisse Sacerdoti, & deponendam paulisper coram altari. (4.) Interea Colonom publicè enuntiavisse confessionem illam solennem, cujus formula videatur ibid. à vers. 5. ad 11. & quæ desinebat in his verbis: *Hier bringe ich diese erste Früchte des Landes/ die du HERR mir gegeben hast.* (5.) Successisse vel statim, vel durante etiamnum hac confessione illam נָבִיאִים, seu agitationem, quæ & colonus, & infra hujus manum Sacerdos, suâ manu corbem illam primitiarum sustulit coelum versus, & retraxit terram versus, & inde antrosum, retrorsum, dextrorsum, sinistrorsum. (6.) Denique epulum jubileum coram Domino, in quo imprimis ratio habenda Levitarum & peregrinorum. Cedebat verò Theruma ista non Levitis, sed solis Sacerdotibus, ut est in jure Sacerdotum Deut. XVIII. 4. Fuit ergo Theruma oblatio, non adhuc stantium frugum, ut ista prior, sed fructuum jam elaboratorum, offerendorum post messem in festo Pentecostes, solique Sacerdoti debita.

§. V. De

§. V. De *Quantitate* Therumæ quæstio difficilis est: Nam Mo-
 sis eam nusquam definiuit. Placuit autem Νομοδιδασκάλοις Judæo-
 rum vetustissimis, annotante Scaligero loc. cit. pag. 57. (ex quo suâ descri-
 psit S. Amama) ut non esset minor parte frugum quadragesima, aut quin-
 quagesima, aut sexagesima ad minimum. Quadragesimam vocarunt
 Therumam boni oculi, h. e. benignam, largam, liberalem: Quinquagesi-
 mam dixere Therumam medianam, mediocrem: Sexagesimam denique
 appellarunt oblationem oculi maligni i. e. præparcam, illiberalem, sordi-
 dam. Sic R. Salomon Jarchi in Devt. XVIII. 4. postquam vocem
 תרומה de hac Theruma explicuisset, addit: *Non exponit (Mosche)*
mensuram ejus; Sed nostri Doctores definiuerunt mensuram talem, ut (sic
D. Varenius sensum verborum ejus exprimit in Trifol. S. pag. 54.) qui
minimum esset oblaturus, sexagesimam; qui summam, quadragesimam;
qui mediam quinquagesimam offerret partem: Et illam quidem appellant ob-
lationem Oculi mali; istam oculi boni; hanc neq; boni neq; mali. Huic Πατρο-
 πια εφ' δότω fundamentum substernunt Rabbini & Hieronymus ex Ez. XLV.
 13 ubi inquit Propheta; *Ista est oblatio quã offeretis sextam partem Ephæ & c.*
 Quomodo autem traditionem hanc ex hoc Ezechielis loco probet & R.
 Sal. Jorchi, & Hieronymus, docet eorum verbis D. Varenius loc. alleg.
 p. 56. seq. Confer Drusium ad loca difficiliora V. Libr. Mosis pag. 590.
 seq. Ex dictis patet, fuisse hanc Pentecostalem oblationem voluntariam,
 respectu quantitatis, non ipsius oblationis. Poterant etiam benè cupien-
 tes Sacerdotibus augere numerum primitiarum, quod faciebant vel frugi-
 bus, vel columbis vivis, & hæ columbæ ornamenta, atque coronæ primiti-
 arum vocabantur, quas imponebant corbi reliquas species primitiarum
 continenti Majmon. de Decim. Cap. XIII. Præter illas primitias seu The-
 rumam de fructibus elaboratis afferendi erant ex qualibet domo duo pa-
 nes è novello frumento, vel primo tritico confecti, quintâ Ephæ constan-
 tes, iidemque fermentati Levit. XXIII. 16, 17. qui præviâ solemni agitatio-
 ne (unde תנורם לחם appellantur v. 17.) cedebant Sacerdotibus. Ni-
 hil enim fermentatum ad altare ferri poterat. Levit. II. 11. 12. C. VII. 4. Ap-
 pellabantur autem æque hi panes, ac illa Theruma Pentecostalis בכורים
 i. et primitiæ v. 17. non quod hi omnium primi, priusquam populus ali-
 quid de novâ messe degustaret, Deo offerrentur. Nam oblato in Paschæ
 te manipulo licuit conficere ex novis frugibus panes, & comedere, ut mani-
 festè lex innuit Levit. XXIII. 14. confer Josuæ V. 11. Sed ideò primitia-

rum nomine illi panes venire videntur, quia messe peracta aliqua frugum portio decerpta à reliquo acervo, & seposita erat, ut ex illa primitiarum panes confici in Pentecoste possent. Vid. Bonfrerium in Levit. p. 695. de his fufius disputantem, ubi tandem concludit; *duntaxat necessarium fuisse, ut è novis frugibus, quibuscunq; hi panes fierent, ita ut primitiarum nomine intelligantur novae fruges ad hoc selectae, ut DEO offerentur.*

II.

De Decimis Hebræorum.

§. I. **M**Os antiquissimus receptus etiam ante Legem à Sanctis Patri- bus, ut DEO bonorum omnium Autori & Largitori decimas vo- verent, & persolverent. Satis id evincit locus Genes. XIV. 20. ubi Abraham primus devictis Regibus *decimas* dedit Melchisedeche, Regi in Salem & Sa- cerdoti DEI altissimi, non de recuperatis bonis lociorum; sed *ἐκ τῶν ἀ- κεραιῶν*, ex manubiis seu spoliis hostium Hebr. VII. 2. 4. ad quem locum annotat Grotius: *Vetustissimus mos fuit, inquit, omnium gentium, de præ- da decimam Deo dare. Notavimus id Libr. III. de J B & P. VI. 1.* Mai- monides verò ex mente veterum, Hilkot Melakim cap. 9. Isaacum facit decimarum s. legis decimandi primum autorem. Quando ergò Abra- ham dicitur dedisse Melchisedeche *δεκάτην ἀπὸ πάντων* Gen. XIV. 20. Hebr. VII. 2. hoc non ita intelligunt Rabbini, quasi ex debito, lege aut institutione id factum sit, sed quod spontè tantum, & pro re nata numero ejusmodi honorare voluerit Abraham DEI altissimi Sacerdotem, à quo mu- nera ipse ante gratissima acceperat præter benedictionem. Isaacum autem primum dicunt fuisse, qui decimavit, sive decimas solvit nomine decima- rum, seu velut ex instituto, seu exemplo à suis sequendo. Fundamentum hujus sententiæ, quæ Decimas velut institutori Isaaco tribuunt est locus Ge- nes. XXVI. 12. *Seminavit Isaac in terrâ illa, & invenit in illo anno cen- tum modios, seu centuplum juxta mensuram (i. e. centies tantum, quan- tum seminaverat) & (pro nam) benedixit ei Dominus.* Causam, cur i- sta mensura adhibita, fuisse ajunt, ut pars decima ita in sacros aliquot ero- garetur usus, idque juxta institutum tunc primum Isaaco autore, eâ de re natum. Vid. Selden. de Synedr. Libr. I. cap. 2. pag. 6. Patriarcha Jacob de omnibus bonis, quæ largitus sit Dominus, decimas se daturum piè pol- lico

lico

licetur. Ita enim ait Genes. XXVIII. 20, 22. *Si Deus mecum fuerit, omnium, quæ dederis mihi decimas offeram tibi.* Postmodum autem ipse Deus lege positâ decimas sibi deberi expressè asserit. Levit. XXVII. 30. *Omnes decimæ terræ, sive de frugibus terræ, sive de fructibus arborum Domini sunt.* Nempe, ut annotat Grotius ad h. l. ex moribus antiquissimis, quorum nullum apparet initium, & ex lege hac, sanctæ erant Domino. Præcepta de decimis exolvendis habemus passim in V. T. v. g. Exod. XXII. 29. 30. XXIII. 19. Levit. XXVII. 30. Num. XVIII. 21. Deut. XIV. & cap. XVIII. 4 &c. quibus in locis præcipitur Israelitis, ut decimam non de proventu modò terræ, frumenti puta, hordei, vini, olei, fructuum arborum; verùm etiam pecudum, ovium, boum &c. Deo exolvant, atq; pendant quotannis, quam decimam Deus Levitis & Sacerdotibus assignat pro mercedem pro opere, quod illi præstabant in Sanctuario, Num. XVIII. 21. 24. & 31. Ezechias autem legem istam instaurans 2. Chron. XXXI. 4. hanc ejus rationem reddit, ut *confortarentur in lege Domini* i. e. alacrius fungerentur officio suo, ut exponit Vatablus. Malach. III. 8. 9. 10. 11. Israelitæ jubentur decimas inferre in domum Dei, cujus præcepti observatio sancitur cumulatissimâ Dei benedictione, violatio verò severissimâ maledictione. *Afferte* inquit Dominus v. 10., *omnes decimas ad domum thesauri, ut sit esca in domo meâ.* Domus thesauri denotat horrea, in quibus sub fidis custodibus, qui Sacerdotibus, & Levitis suas inde portiones erogabant, conferebatur frumentum, vid. Nehem. XIII. 12. 13.

§. II. Materia decimarum eadem fuit, quæ Primitiarum, s. Theorum magnæ. Repeto hic axioma Talmudicum ex Massechet Maaseroth. *Hanc universalem regulam constituerunt Majores nostri de decimis: Omne בעומר (sive quod cedit in cibum) quod custoditur (i. e. quod non est omnibus liberum, sive juris communis) & ex terrâ incrementum capit, obnoxium est decimis, vel decimetur.* Wilh. Schickardus de Jure Reg. Hebr. cap. IV. Theor. XV. p. 270. edit Lips. ex R. Majmonidis Halachis, quas de decimis prelixè perscripsit, hæc breviter recenset: *ex omnibus terra proventibus, qui ad humana vitæ sustentationem pertinebant, jussi sunt in sacros usus aliquid segregare; scil. è frumento, tritico, avenâ, hordeo, leguminibus, oleo, musto, ficibus, malogranatis: adeoq; de Zizaniis quibusdam.* Idem statim subjungit; H. Theumos c. 2. post init. *Vicia (Wicken semilatinam) quamvis non sint humana nutrimenta, quia tamen famis tempore comeduntur, etiam ad decimari debent: sic & Hyssopus atq;*

Origanum, quorum semina sunt homini condimenta, decimantur. Illud extra controversiam est in lege DEI exactas esse decimas תבואתך proventus, Deut. XIV. 22. *Decimando decimabis תבואתך כל omnem proventum seminis tui, qui egreditur ex agro. annuatim,* confer Cap. XXVI. 12. Sed an hortensia & olera, seu vilissima quæq; modò ἐδωδιμα fuerint, ut anethum, pulegium, mentha, ruta cuminum &c, proventus nomine comprehendantur, sive an horum omnium decimatio in lege divinâ requiratur, an verò ex posteriorum Judæorum traditione, vel potius superstitione ortum traxerit, quæritur. R. Salom. Jarchi ad Cap. XXVI. Deuter. aliqve Hebræorum Doctores contendunt, ex præscripto Legis septen: saltem species rerum fuisse decimandas, videl. Triticum, Speltam, hordeum, avenam & panicum seu spicam vulpis, oleum, mustum. Sequuntur illos Beza, Piscator, Drusius, Casaubonus Exercit. I. contra Baron. Sect. IX. p. m. 47. aliqve; Ita tamen, ut numerum illum septenarium ad ternarium restringant, Frumentum scil. oleum & mustum, includentes frumento quinque illas priores species modò dictas. Urgent imprimis, quod passim in Lege, quoties de decimis agatur, & nomen proventus adhibeatur, hæc tres saltem species subjiciantur. Drusius in præter. Libr. I. ad Matth. c. XXIII. v. 23. ad verba: *Decimatis mentham &c.* pag. 52. addit: *Hoc faciebant ex traditione, sive disciplina majorum, non ex lege. Nam in lege est, decimas proventus tui i. e. תבואתך. Olera autem non vocantur proventus, nec sub eò nomine comprehenduntur.* Quod notatum in libro præceptorum fol. 245. col. 4. Hæc ille. Joh. Lighthfoot in Hor. Hebr. ad Matth. XXIII. inter regulas de decimis tertio loco ponit hanc: *Decimatio olerum est à Rabbinis.* Babyl. Joma f. 8. 2. & porrò ait: addita erat hæc decimatio à Scribis, & tamen à Christo approbata &c. Volunt ergò hujus sententiæ defensores, olerum, aliarumqve vilium rerum decimationem ortam esse eo seculo, quo superstitioni & operibus supererogatoriis indulgeri coeptum est.

§. III. Verum rectius dicitur etiam rerum minutarum, modò humanæ vitæ sustentationi inserviant, decimas in lege divinâ fuisse requisitas. I. Quia verba Legis sunt generalia Levit. XXVII. 30. *Omnes decima terra, de semine terra, de fructu ligni, vel arboris Domini sunt.* Deut. XIV. 22. *Decimando decimabis omnem proventum seminis tui,* h. e. omne id, quod in agris, vel hortis, vel vineis seminatur, quicquid ex terrâ provenit, & germinat LXX. Interpretes reddiderunt παντός γωνήματος *cujusvis germine*

germinis. Latius enim accipiendam esse vocem תבואה, quam ut Schindl. in Lexic. de *agri & vineæ fructibus* explicat, suadet locus Levit. XIX. 15. ubi arboris quoque fructus proventus nomine veniunt. Nec video quid ob-
 stet quo minus & olera sub hoc nomine comprehendantur. Consentit R. David Kimchi in libro Radicum, ubi תבואה, inquit, *est nomen generale, quod omnibus fructibus competit esui aptis*. Vocantur autem ita à radice נבוא *venit*, quia proveniunt, & introducuntur præsentis anni: qui enim præterito anno collecti sunt dici solent עבור. II. Quia 2. Chron. XXXI. 5. dicitur, Israelitas postquam à Rege Hiskia de danda Levitis & Sacerdotibus portione debitâ mandatum acceperant, multiplicasse primitias (Therumam) frumenti, musti, olei, & רבש, omniumque, quæ gignit ager, vel ut LXX. πᾶν γένημα ἀγρῶ. Hic tribus illis speciebus supra dictis, additur רבש, quam vocem sive cum Luthero, Münstero, Aria Montano & Vulgato *per mel*, sive cum Sante Pagnino, LXX. Hebræis, Buxtorfio & Junio *per dactylos palmarum* vertas, perinde nobis est. Certè si non olerum decimationem probat additum רבש, saltem ternarium istum numerum discuit, ut recte ait Sixtinus Amama l. c. Habetur hic præterea illud universale כל-תבואה *omnis proventus agri*; ac proinde illa explicatio vocis תבואה proventus, per frumentum mustum, & oleum non est perpetua, nec exhaurit omnes species proventuum decimandorum, ut vel ex loco jam adducto patet, ubi primitiis frumenti, musti, olei, primitiæ palmæ adduntur. Uti igitur numerus ille ternarius non excludit רבש, ita nec alias species, & per consequens, nec olerum δεκάτευον seu decimationem. III. Quia Christus decimationi menthæ, anethi &c. opponit τὰ βαρύτερα, *graviora legis*, Matth. XXIII. 23. Utique ergo etiam illarum rerum decimatio ad legem pertinet, videlicet ad faciliora legis præcepta. IV. Quia Salvator subjungit ἔδει, *oportet hæc facere, at illa non intermittere*; ubi sive prius, sive posterius membrum ad decimationem illorum minorum olerum referas, manifestum tamen est in verbis Christi contineri obligationem ad decimas illas dandas. At si nudâ traditione niterentur, Christus vocabulum ἔδει de illis nequaquam usurpasset. V. Quia Pharisei volebant harum rerum rigidi legis divinæ observatores & exactores videri, utique ergò in lege ea fuit demandata, ut rectè docet B. Gerhard. Harmon. Evangel. cap. CLVIII. fol. 585. Iisdem rationibus sententiam illam quæ statuit decimas minorum, menthæ, rutæ, & olerum fuisse lege DEi præceptas, probat Toletus Comment. in Lucam

cam

eam annot. XC. in cap. IX. Luc. Proinde concludimus cum B. D. Varenio Trifol. S. p. 37. Ad ipsorum etiam olerum, seu vilissimorum hortensium, modò fuerint *βρώσιμα*, decimationem, & primitiarum oblationem Judæos lege Mosaicâ fuisse obligatos. Autoritates Rabbiorum pro hac sententiâ adducit Sixt. Amama, l. all. quas ibid. vide.

§. IV. Cæterùm delibatis de fructuum universitate primitiis, & Sacerdotibus traditis, de residuo fiebant decimæ. Res enim nondum decimata, ut & decimæ primæ, de quibus nondum data decimæ secundæ erant usurpari non poterant, nec debebant, etsi immundatæ essent, juxta Maimon. de Decim. Cap. VI. n. 1. Dona verò, *que de iisdem pauperibus dabantur, erant libera à decimatione*, quia quod pauperibus dabatur Deo datum censebatur, docente Clariss. DN. Dassovio in Prælect. publ. de Decimis Sect. I. Cap. 7. Uti autem Primitiæ omnium fructuum terræ juxta Leges supra allegatas cedebant Sacerdotibus, adde Num. XVIII. 13. ita prima decima (Hebræis *מעשר ראשון*, Græcis *δεκάτη πρώτη* Tob. I. 7. dicta) de reliquo acervo dabatur quotannis à populo Levitis. Num. XVIII. 21. 24. 25. 26. Quia enim duodecima hæreditatis terræ promissæ pars à DEO ablata à Levitis, & ad Josephi filios translata erat, ipsiq; ministerio Tabernaculi vacabant, atque ita à necessariâ rei familiaris curâ abstrahantur, aliunde ipsis prospici oportuit. Cum autem Levit. XXVII. 30. omnes decimas sibi jure quodam peculiari vendicavit Dominus Num. XVIII. vers. cit. expressè eas Filiis Levi resignat. De hac ipsa verò decima prima Levitæ rursus dabant decimam Sacerdotibus, quam Deus ipse vocat *מעשר מן המעשר* *Decimam de decima*, Num. XVIII. 26. Græcè *δεκάτη της δεκάτης* item *תרומת יהוה* *oblationem Jehovah*, ibid. Appellatur etiam *קדש מעשר* *decima Sanctitatum* 2. Chron. XXXI. 6. ex sententiâ Sixt. Amamæ & Varenii ll. cc. Rabbini v. & inter eos R S Jarchi ad Num. XVIII. 24. *תרומת מעשר* oblationem decimæ nuncupant. Benè Scaliger de Decimis Jud. p. 57. *Quemadmodum, inquit, Colonus offerebat Therumam de propriis fructibus, ita etiam Levitæ offerebant Therumam de decimâ primâ, quæ erat illis instar fructuum priorum prediorum.* Ideò hæc decima dicebatur Theruma decimæ, ad differentiam illius prioris, quæ vocabatur Theruma magna, aut Theruma major. Singulis itaq; annis Judæi ex bonis suis jussu Dei separabant partem decimam, & Levitis offerebant. Hæc subdividebatur in decem alias partes, atque ex his novem sibi servabant Levitæ, qui in urbibus Palæstinæ hinc inde spar-

sim

sim habitabant, una verò pars nim. decima decimarum deferebatur ad Sacerdotes, qui in Templo Hierosolymitano erant & administrabant, hæcque ipsis in victum cedebat. Ac sic hæc decima de decimâ Levitis accepta ferebatur, non colonis, à quibus Levitæ acceperant. Et uti Coloni de proventu suo, sive corpore fructuum, nihil attingere audebant, antequam de illo Therumam, ac utramque decimam delibassent; Ita Levitis ante decimationem decimæ usus & frumenti, & fructuum, de quibus fiebat oblatio, erat vetitus, juxta legem expressam, & ab ipso Deo repetitam Num. XVIII. 27. 30.

§. V. Detractâ & delibata Therumâ decimationis, ut loquitur Scaliger, vel decimâ decimæ, licebat Levitis, Levitarumque familiis residuum comedere ubivis locorum extra Hierosolymam, Num. cit. v. 31. (ad distinctionem decimæ de decima, quæ quasi res sacra extra Hierosolymam comedi non poterat) etiam in *Domo sepulchrorum* seu cimiterio, secundum R. Sal Jarchi. Sed AbenEsra ita exponit: *Comedetis illud in omni loco mundo.*

§. VI. Porro, de eo, quod reliquum erat detracta Theruniâ magna seu Petecostali, & decimâ primâ, pendenda Colono adhuc erat altera decima, quam Hebr. *עשר*, *עשר* *decimam secundam*, Græci verò *δεκάτην δευτέραν* Tob. I. vel *δεκατην δευτεραν* vocant. Fundatur ea in lege Lev. c. XXVII. 30. 31. sq. & Deut. XIV. 22. sq. & clarè à decimâ primâ & decimâ de decimâ distinguitur, ut mirum sit *Lyrannus* ad Deut. XII. & XIV. hæc distincta decimarum genera confudisse. Patet enim vel hinc discrimen; quod decimâ decimæ delibatâ, decima prima quasi profana fiebat, & in quovis extra S. urbem loco absumi poterat; hæc vero scilicet secunda, tota sacra erat, non nisi in loco sancto à Deo electo ad collocandam ibi suam Majestatem, ut Onkelos passim loquitur, & veluti intra Templi Hierosolymitani septa, coram Domino *בערר* in atrio comedenda, ex lege Deut. XIV. 22. 23. Deinde, decimæ primæ sine interpositâ adæratione necessariò Hierosolymas, aut à Colono ipso, aut ab ejus vicario erant deportandæ; Decimæ verò secundæ, aut Hierosolymam erant deferendæ, aut si longior, & impeditior via esset (verba sunt Scaligeri l. c. p. 58.) quàm ut Hierosolymam comportare possent, vel (ut D. Varenius eâ fusius exponit loc. alleg. p. 60.) si longius distabat lo-

C

cus,

cus, quem Jehova elegerat ad collocandum nomen ibi suum, adeo ut colono per divinam benedictionem decimis aucto difficile esset tanto itinere eas exportare, licebat Colono illas divendere, atque aderare, & ex pecuniâ inde redacta, frumentum, mustum, oleum, victimasque Hierosolymis denuò coemere, ac ex illis solenne epulum instruere, quod à colono, Sacerdotibus, & Levitis in atrio ipso Templi ablutiebatur Deut. XIV. 24. sq. conf. Deut. XII. v. 12. 13. 19. Intra portas verò aliarum urbium illis vesci neutiquam erat licitum, Deut. XII. 11. 12. 17. 18. *Non poteris comedere intra portas tuas decimam frumenti tui, & vini tui, & olei tui &c. Sed coram Domino Deo tuo comedes illo in loco, quem elegerit Jehova Deus tuus &c.* Huc faciunt, quæ Laudatus Dn. Dasso. loc. cit. Sect. II. Cap. III. ex Maimonide de Decimis secund. c. II. de modernâ Judæorum superstitione refert: *quod si Judæi hodiernum Hierosolymis vivant, vel ibi relinquant fruges, ut putrescant, vel extra urbem deportent, & redimant.* Denique quando secunda illa decimâ à colono divendebatur, quinta pars decimæ adhuc erat ei superaddenda, juxta Levit. XXVII. 31. *Si redimendo redemerit vir aliquid de decimis suis, quintam ejus partem addet ultra eam:* Non ut Levitæ ex alieno damno lucrum facerent, sed ut astutiæ, & frumentum in pecuniam mutantium fraudibus occurreretur. Grotius ad hl. annotat, quintam partem imponi redimenti promulctâ; quia decimæ, nec vendi possent, nec redimi scil. sine mulctâ. *Itaque secunda decima inquit Scaliger loc. sapius c. t. p. 59. quæ in speciebus erant decem de centum, in aderatione fiebant duodecim, (vel ut Varenius rem declarat, qui de ducentis ante dabat, in hanc decimam modios XX. post redemptionem, vel aderationem dabat modios XXIV.)* Detractâ decimâ secundâ residuum fiebat in potestate coloni, sive divendere, sive vesci eo, sive donare vellet.

§. VII. Restat tertium decimarum genus, quod tertio quoque anno recurrebat, unde *Trietericum* vocant, à Tobia *δὲκάτη τριῆτη* c. l. 7. à Rabb. *מעשר עני* & ab Hieronymo *πρωχόδεκάτη decima pauperum* in c. XLII. Ezech. Tom. IV. appellatur. Hæc enim cedebat præter Levitis, peregrinis, pupillis, viduis & pauperibus in Israel, & quidem intra urbem cujusque offerentis distribuebatur tertio tantum anno. Lex de his decimis trietericis Deut. XIV. 28. 29. habet: *A fine trium annorum* (in Hebræo est *מקצו* i. e. in tertio anno, ut habetur Deut. XXVI. 12. vel

vel quovis tertio anno Sixt. Amama loc. cit. in extremo, vel extremitate
 h. l. est in principio tertii cujusque anni, utraque enim, *addit*, rei extremi-
 tas $\chi\pi$ & קצקמ dicitur, sic Deut. XV. 1. & alibi) *depromito omnes de-*
cimas frumenti tui provenientes isto anno, & relinquant intra portas tuo-
as. Venientque Levitæ, peregrini, pupilli & vidua, quæ sunt intra por-
tas tuas, & comedent & saturabuntur. Domi ergo retinebantur hæ
 decimæ, ut egeni inde refici, ac Levitæ amicabilem interdum convivio ex-
 cipi possent. Confer Deuter. XXVI. 12. ex cujus capitis v. 13. 14. & 15.
 etiam patet hanc $\tau\epsilon\acute{\iota}\tau\omega\delta\epsilon\kappa\acute{\alpha}\tau\omega$ excepisse solennem protestationem, &
 confessionem, cujus formula hæc fuit: *extuli sanctificatum è domo* (in
 Hebræo est combussi sanctitatem i. e. penitus abstuli è domo meâ, ac si
 combussissem, nihil apud me servavi in usus privatos, sed) *dedi Levitæ &*
peregrino & c. non transgressus sum mandata tua: Non comedi in tri-
stitiâ mea ex eo, neque extuli ex eo in reprofana, h. e. non do-
lui, quod tantum annuo proventui detrahere, & in decimas pauperum
impendere debuerim: Hilariter feci, quamvis in retenui, & conviviam
sacra, ut oportuit in lætitiâ consumsi. Nec in *res profanas ac turpes, ne-*
que in funebres pompas contuli, sed vocem Domini secutus, in eum,
quem voluit ipse, usum, decimas converti. Hæ $\pi\tau\omega\chi\omicron\delta\epsilon\kappa\acute{\alpha}\tau\alpha\iota$ au-
 tem illo anno, quo offerebantur perimebant decimam, non utramque,
 i. e. primam & secundam, quam sententiam adscribit R. Sal. Jarchi B.
 Dn. D. Varenius Trif. C. XII. ast perperam, uti ex ipsius Jarchi verbis con-
 trarium ostendit Celeberr. Dn. Frischmuth Disput. de Decim. Cap. VI.
 reverà autem eam tuentur Abulensis, Bonfrerius, & alii; neque primam,
 ut post Scaligerum & Amamam vult B. D. Varenius, sed secundam. Si
 enim utramque peremissent, vel si fuissent loco primæ & secundæ deci-
 mæ, miserè cum Sacerdotibus actum fuisset; si primam peremissent, to-
 to illo anno parvum habuissent Levitæ vivendi medium, nec minùs
 multum Sacerdotes esurivissent, quibus detracta fuisset decima decima-
 rum. Secundam verò peremtam fuisse, non solum plerumque est con-
 stans Rabbiorum sententia; sed ipsi LXX. Interpretes illud quoque
 haud obscure indicarunt, ut pote paternorum rituum maximè gnari,
 dum Deut. XXVI. 12. hunc in modum transtulerunt: *Εάν ἡ συντελέσης*
ἀποδεκατῶσαι πᾶν τὸ ἐπιδέκατον τῶ γεννημάτων τῆς γῆς σε ἐν τῷ ἔτει
τῷ τρίτῳ, τὸ δεύτερον ἐπιδέκατον δώσεις τῷ Λευίτῃ, καὶ τῷ πρὸς ἑλπί-
τῷ,

πωι καὶ τῷ ὀρφανῷ καὶ τῇ χήρᾳ, καὶ φάγονται ἐν ταῖς πόλεσίν σου, καὶ ἐμπληθύνονται. *Cum Consummaveris omnem decimam terræ tuæ anno tertio, secundam decimam dabis Levitæ, Profelyto, orphano, & viduæ, ut comedant in urbibus tuis, & saturentur.* Ubi expressè ajunt secundam decimam eo anno dandam fuisse, quæ aliàs Hierosolymam erat ferenda. Quæ cum ita sint, secundam, quæ aliis annis colono ce-
debat, anno tertio pauperibus in populo distributam esse arbitramur.

§. VIII. Egimus hæcenus de decimatione Proventuum terræ, paucis etiam expediemus decimationem pecorum. Non solùm enim de frugibus & fructibus, sive *ab arcâ & torculari*, ut loquitur R. Abarbanel ad I. Sam. II. 17. dependebantur decimæ in V. T. sed etiam de animalibus, armento & grege, juxta expressam legem Levit. XXVII. 32. Omnis decimaboum & ovium, & cujuscunque animalis, quod transit sub virgâ, decimum, erit sanctitas Domino. Decimationis annuæ pecudum ratio, ex Rabbiorum sententiâ hæc fuit observata: colligebat pecuarios agnôs, vel vitulos, suos in unum stabulum, cujus ostium parvum erat, ita ut duo simul exire non possent. (Erat enim in ovili ostium majus, per quod introitus, & exitus gregi & pastoribus, & minus, per quod exierunt agni ad decimationem.) Matres illorum extra caulam constituebantur, ut cum agni, vitulive eas mugientes audirent, vel balantes, ordine alter post alterum egrederetur. Tum incipiebat pecus suum numerare 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. & quod decimo loco exibat; sive masculum esset, sive foemineum, sive macrum, sive pingue, sive integrum, sive maculatum, percutiebat virgâ quâdam minio tinctâ, & dicebat: Hoc erit pro decima. Probant hunc decimandi pecora ritum Rabbini ex adducto loco Levit. XXVII. 32. Omne, quod transit *sub virgâ*, decimum, erit sanctum Domino. Et quidem, ut non nemo existimat, non malè; verùm ego puto malè inde illum ritum probari. Nam per triseuntia sub virgâ Vatablus rectè intelligit ea animalia, *que reguntur & custodiuntur à pastoribus*, ita ut non de virgâ decimatoris, sed de pedo Pastoris hic sermo sit. Sic Syrus: *Quicquid transit sub virgâ Pastoris*, itemque Vulgatus: *quæ sub pastoris virgâ transeunt*: Nempe sub virgâ pastoris transibant armenta & greges, quoties illorum numerus subducebatur. Numeratur pecus manè & vesperi, & dum vadit ad pascua, & dum

dum inde revertitur, ut habet Servius, ad illud Poetae Eclogae ter-
tia:

Bisque die numerant ambo pecus, alter & hædos.

Huc respicere videtur Jerem XXXIII. 13. *Transibunt, inquit, per manum numerantis*, e. per pastoris manum, qui solet redeuntes e pascuis pecudes vesperi numerare. Conf. Ezech. XX. 27. & vid. Bocharti Hieroz. p. L. c. XLIV. col. 459.

III.

De decimis Christianorum.

S. I. **N**on minùs fortasse eleganter, quàm verè Moses Pentateuchii Scriptor Fons, & Oceanus salutatur, ex cujus diviniis V. Libris omnia, quæ & fidei salutiferæ dogmata, & vitæ beatæ præcepta Doctores unquam tradidère pro manarunt. Docet hoc ipsum Magnif. Dn D. Præses in Systemate suo Theologico (tempore quoque primò in lucem prodituro) Loc. de Script. S. quæst. X. p. 105 ubi ad dictum Deut. IV. 2. observat: *prohiberi in illis verbis, omnem additionem substantialem heterogeneam, i. e. humanam novam, quæ nec formaliter, nec virtualiter extet in Mose, è quo ceu Oceano, omnium prophetarum rivi profluxère, non tam additione, quàm illustratione.* Contentit, quoad posterius potissimùm Dn. D. Varenius in Trifol. sæpius citato pag. 30. *Fons & regula, inquit, omnium Legum est Lex divina Mosaica ad cujus exemplar ceteræ omnes conformari debent, quod nisi fiat, ne Legis quidem nomen ulla, licet spaciouso incedat gradu meretur.* Res adeò clara est, ut nisi Mose hæc apud *γινώσκω* Christianos ultrò constaret auctoritas, eam saniorum Ethnicorum tacito suffragio comprobare possemus. Vel hæc nostra, quam ex Mose expendimus de Decimis Lex populo Israelitico lata, & ab Ethnicis per æmulationem observata, sufficeret. Solvebant enim Heruculi decimas Hetrusci, & post eos Romani, teste Cicer. Libr. III. de Nat. Deorum, quæ pars Herculana à Plauto in Rudente, Stichos &c. dicitur. Arabes Arabiae thuriferæ habitatores, thuris collecti, antequam distraheretur, decimas Deo cuidam dederunt, quem Sabbin vocarunt, juxta Plin. Libr. XIV. Hist. Nat. Sic Ægyptii ex Cina-

C 3

mo.

momo, Victores de Spoliis hostium persolverunt decimas, vel Jovi, vel Apollini, vel Dianæ, juxta Cicer. Libr. II. de Offic. Plin. L. XII. c. 14. 19. Herodot. Libr. I. & Xenoph. Libr. V. de Cyro, & III. de rebus Græcorum. Unde autem hic cultus ipsis constit? quare decimam præcisè portionem exhibuerunt? Natura sane hoc illos non edocuit, nisi ex fonte Israelis eos hæc hausisse, & ad suam superstitionem transtulisse credas.

§ II. Quare mirum non est, si Christiani etiam sublatâ licet Republica Hebræorum, decimandi Legem à Mose olim populo suo præscriptam & plurimùm observarunt olim, & ad huc dum ex parte observent. De quibus decimis, prout etiamnum apud Christianos vigent, ut nunc agamus, instituti ratio postulat. Quod si ergo rem inde ab ultimâ antiquitate repetamus, atque ortum decimarum sub N. T. investigemus, utique nobis non liquere, quando & quo præcisè anno Christiani decimas erogare cæperint, fateri cogimur. Hoc sanè facile asserere possumus, ante finem sæculi tertii, in quibusdam locis institutas quidem, non tamen ubique receptas fortè, & confirmatas fuisse. Nam credibile non est Imperatores, Magistratusque paganos, Christi, Christianique nominis juratos hostes, permisisse, ut hostes isti publici, *Deorum Imperatorum, Legum, morum, & natura adeò totius inimici* (uti fideles per ignominiam dicebantur juxt. Tert. Apolog. c. 35. 38. & Tacit. Annal. XV.) proprios fundos possiderent, quibus liberalitatem suam ad promovendum cultum divinum exercerent; quin fisco potius vindicassent, quicquid ad sacra sua destinatum à Christianis, & consecratum fuisset. Aliam proinde rationem alendi ministros status Ecclesiæ oppressæ, quæ in cryptis, cæmitriis locisque desertis, fugitivæ ad instar mulieris Apoc. XII. latitabat, requirere videbatur. Hinc legimus, quod statim Apostolorum tempore Neophyti bona sua immobilia adærarint, & pretium ad pedes Apostolorum deposuerint Act. IV. 34. cujus deinde administratio diaconis fuit commissa, Act. VI. 2. 3. qui ea, quæ necessaria essent in victum Ministrorum, Viduarum, infirmorum, pauperum, in educationem puerorum & adolescentum, in hospitalitatem, redemptionem captivorum, aliaque opera pia, distribuerent. Qui vivendi modus Christianam Charitatem, mutuamque dilectionem summopere commendabat, cultusque divini specimen valde illustre tam Judæis, quam Gentilibus exhibebat, affirmante ipso Spiritu S, Act. IV. 34. *Eoque processit tunc*

tunc temporis pietatis ardor, ut inter Ecclesiasticas Personas turpe haberetur, si qua proprium quid possideret, docente Magnif. Du. D. Ziglero JCro, nec non Polyhistoro, quaquà eruditus patet orbis famigeratissimo de Diac. C. XIII. §. 1. de Dote Eccles. cap. XI §. 2. Verum augete indies fidelium numero, hæc communio diu consistere non potuit, cum tantâ ingeniorum diversitate facilè rixæ, contentionesque subinde nascerentur, quo a: edebat, ut pretium ex venditione bonorum immobilium rediens, celeriter descresceret, nec ad alendum tantum fidelium numerum sufficeret. Placuit proinde Laicis discedere primùm à communione, quam nihilominus diutius Clerici, non tamen ubique omnes retinuerunt. Liberum enim erat etiam Clericis, vel in communione vivere cum reliquis, vel seorsim habitare, & extra consortium aliorum. Factum ergo non ita multo post, cum hæc nova seorsim vivendi ratio plerisque placeret, ut communio hæctenus frequentata plane desineret, nec quisquam ferè esset, qui eam porro colere vellet. Qui verò extra communionem, atque cum uxoribus vivere maluerunt, stipendia etiam sua pro se quisque acceperunt; quæ quidem stipendia verbi divini ministris de agapis, oblationibus, & voluntariis collationibus fidelium, erogabantur. De collatis istis hæc sunt Justini Mart. verba Apolog. II. *Qui per facultates possunt & volunt, pro arbitrio quisque suo, quod lubet conferunt, & quæ collecta fuerunt apud prepositum, sive Antistitem deponunt.* Et Tertull. Apolog. cap. 39. *Modicam, inquit, unusquisque stipem mensruâ die, vel cum velit, & si modo velit, & si modo possit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert.* Meminit quidem Zepperus Libr. IV. Cap. 10. de LL. Mosaic. quod Fabianus Cypriani coætaneus constituerit, non ut mensruâ quadam die, sed singulis diebus Dominicis, ab omnibus viris, & mulieribus panis & vini oblationes fierent. Constabant autem istæ oblationes, non tantùm è pecuniâ, sed pane, etiam vino, aliisque ad victum pertinentibus. Cyprianus Pater adulti jam seculi tertii has oblationes, ut videtur Sportulas appellat Eph. 37. Sine dubio, quia in sportulis offerebantur hæc pensa. Unde etiam Cleros expressè Fratres sportulantes appellat Epist. 66. *Quæ nunc ratio, inquit, & forma in Clero tenetur, ut qui in Ecclesiâ Domini ordinatione Clericâ promoventur,*
in

in nullo ab administratione divinâ adorentur, nec molestiis & negotiis secularibus alligentur, sed in honore sportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & sacrificiis non recedant; sed die ac nocte caelestibus rebus, & spiritualibus serviant. Porro autem circa istas sportulas observandum erit, quod jam tum illo tempore divisione inæquali inter Ministros Ecclesiæ, prout scilicet cujuslibet officium & gradus, in quo constitutus erat merebatur distribuere, ita ut mensuram suam aliquando diurnam sportulam quisque acciperet. Vid. Omninostrâ laude major Ziegl. loc. de cap XIII. § 9.

§. III. Ideoque cum hæc salariorum ratio obtineret, prioribus tribus seculis nihil certi, decimas imprimis de fructibus, frugibusque terræ fuisse solutas, affirmare possumus. Paulatim verò persecutionis æstu, morte Diocletiani, defervescente, Ecclesiæ sua Halcyonia Constantino M. rebus potito, concessa fuerunt; prisca etiam Ecclesiæ facies, quod ministrorum attinet sustentationem, cœpit immutari. Iste enim Immortali gloriâ dignissimus Imperator pro singulari sua in Ecclesiam pietate, studioque cultum divinum promovendi, non maximis tantum sumptibus templa extrui curavit: *Sed larga etiam Ecclesiarum Ministris stipendia è publico dari constituit.* Sozomen. Libr. II. Hist. Eccles. cap. 4. *Deinde è publicis tributis per singulas Civitates vectigal certum deduxit, ac cujusque loci Ecclesiis & Clericis deputavit, hancque munificentiam firmam & perpetuam haberi statuit.* Ex terrâ etiam, quæ in singulis civitatibus vectigalis erat, certum vectigal, quod ærario pensari solet accepit, & ecclesiis, ac Clero distribuit Sozom. Libr. I. H. E. cap. 8. Eusebius Lib II. de vitâ Const. M. cap. 21. 36. 39. *Frumentum insuper Ecclesiis de publico dare jussit, quod cum postea Julianus fieri prohibuit, successor ejus Jovinianus, & postea Valentinianus & Gratianus Imperatores rursus confirmarunt.* L. Privilegia. C. de Sacrosanct. Eccles. Et Constantinum M. primum ordinavisse, ut de rebus omnibus decimæ Ecclesiis, omnibus solverentur, autor est Hermannus Gigas, quem citat Zepperus loc. alleg. Decimæ

Decimæ

Decimas jam tum illis temporibus in usu pridem fuisse Canon.
5. Synodi Matisconensis II. A. C. 587. habitæ testatur, cujus hæc
sunt verba: *Leges divine consulentes Sacerdotibus, ac Mini-*
stris Ecclesiarum, pro hereditariâ portione omni populo præcepe-
runt decimas fructuum suorum locis sacris præstare, ut nullo la-
bore impediti per res illegitimas, spiritualibus vacare possint mi-
nisteriis: Quas leges Christianorum congeries longis tempori-
bus custodivit intemeratas. Unde statuimus, ut decimas Eccle-
siasticas omnis populus inferat &c. Hæc de origine decimarum
habemus, quæ deinceps in Germania quoque instituit Carolus
M. ut Kranzius in Metropoli sua Libr. I. c. 8. annotat, quæ & se-
quentibus temporibus, in quam plurimis Synodis stabilitæ sunt,
atque confirmatæ.

§. IV. Supra cum de decimis Hebræorum diceremus, e-
vicimus Judæos vi legis præscriptæ de omni terræ semine, s. fru-
gum, s. fructuum nomine veniat, decimas solvisse; Christiani ve-
rò insigni hujus legis perspectâ utilitate, hac etiam in parte illo-
rum vestigia studiosè legerunt. Decimas enim dant de *fructibus*
agrorum, de vino, de frumento, etiam de cannabe, lino, rapis, ce-
pis, brassicis, oleribus, ervis silvestribus, pis, milio aliisque; item de
hortorum pomis, piris aliisque, arborum fructibus, & de redditibus
animalium, veluti de lanâ, fœtu, lacte, caseo &c. Vid. Nobiliss.
J. C. B. Carpzov. in Definit. Eccles. Libr. I. defin. 131. Dn. D.
Ziegl. ad Lancellottum Libr. II. tit. 26. §. 3., quæ decimæ uno
nomine *pradiales* in Jure Canonico appellantur, ad differen-
tiam *personalium*, quæ ex acquisitis Personæ labore, & operâ præ-
stantur, seu quæ ex artificio, industriâ, scientiâ, militiâ, negotia-
tione, vel ex alio quolibet actu & quæstu humano & licito pro-
veniunt. Ad istarum personalium exhibitionem adhortatur
Augustinus Serm. 119. de tempore: *Quod si decimas non habes,*
ait, fructuum terrenorum, quod habet agricola, quodcumq; te
pascit ingenium DEi est, & inde decimas expetit unde vivis, de
militiâ, de negotio, & de artificio redde decimas. Aliud enim pro
terrâ dependimus, aliud pro usurâ vite pensamus. Redde ergo ho-
mo quia possides, redde, quia nasci meruisti. Personales autem
istæ decimæ fermè ubiq; successu temporis per desuetudinem
D abo-

abolitas esse, testatur P. Laymannus Theol. Moral. Libr. IV. tr.
VI. c. 1. n. 4.

§. V. Hoc insuper notandum, quod cum diximus, Christianos de omni proventuum genere decimas persolvere, minime id intelligendum venit cum obligatione omnium locorum, atque temporum, quasi ubique, & semper tenerentur de his enumeratis speciebus absolutè decimam dare; sed hic consuetudo ex sapienti majorum cujuslibet loci institutione enata, multum valet, & finis potissimum ratio est attendenda. Quos equidem varios, si instituti nostri conditio permetteret, allegare possemus; Suffecerit verò principalis, & maxime ab antiqua liberalitate intentus, Ministrorum scilicet Ecclesie congrua sustentatio, & Ministerii Ecclesiastici legitima conservatio, quippe, quod ad promovendum Nominis sui honorem, & ipsorum hominum salutem ab ipso Deo est institutum. Ministri à nobis fideles intelliguntur, qui omnes muneris sui partes, quantum possunt, sedulo obeunt. Fidelitatem enim unicè in dispensatore Mysteriorum DEi, Gentium Doctor requirit, 1. Cor. IV. 2. Tametsi verò dictus iste finis locum rectè habeat, si decimæ & cujus pars sunt, salarium considerentur ratione Ecclesie conferentis; tantum tamen abest, ut unicè propter hanc mercedem laborare deceat Ministrum. Quin potius assidue mente perpendat illud mandatum Christi Joh. XVI. 15. 16. 17. & saluberrimum Petri monitum 1. Petr. V. 2. Nempe imprimis ex amore gloriæ divinæ, & salutis hominum procurandæ suscipiendum est ministerium, non sacrâ auri fame, studioq; quærendi, quæ sua sunt, quod prohibet Apostolus 1. Cor. XX. 24. & de hoc vitio jam tum suo tempore valde idem conqueritur. Philipp. II. 21.

§. VI. Quibus ita adornatis colligimus I. Quod salaria, & ubi his annumerantur decimæ, non sint puræ eleemosynæ, seu dona gratuita & indebita; sed quod jure suo, & petere, & accipere eadem Ministris Ecclesie liceat. Et in hac sententiâ nos confirmat (1) Jus naturæ, è cujus principiis ipse Salvator à genere ad speciem concludit h. m. Omnis operarius dignus est & cibo, Luc. X. 7. & mercede Matth. X. 10. Ministri verbi sunt operarii Matth. IX. 38. E. & discipulus Paulus 1. Cor. IX. 6) à simili v. 7.

li v. 7. Nemo militum militat citra stipendium: nemo vinitorum excolit vineam citra fructus ex eâ participationem: nemo pascit gregem, nisi comedat de lacte ejus. (β) à minori ad majus v. 9. Bovi trituranti os non est obturandum Deut. XXV. 4. Ergò multo minus deneganda est merces Ministro laboranti, γ) ab equo & justo. Qui spiritualia feminant, eosdem carnalia merere jus fasque est v. 11. Rom. XV. 27. (2.) Jus divinum, quo pertinent tam divina testimonia, quam exempla. Testimonia ex V. T. sunt, Num. XVIII. 31. Dent. XVIII. 1. ex N. T. pro nobis militant Matth. X. 10. Luc. X. 7. 1. Cor. IX. 7-14. Gal. VI. 6. 1. Tim. V. 18. Exempla si audire libeat in V. T. Sacerdotes & Levitas ex rebus, & proventibus à Deo imperatis vixisse constat. In N. T. habemus ipsum Christum Salvatorem exemplo suo præeuntem, qui τὰ ὄνια ἔχοντα à mulieribus accepit Luc. VIII. 3. & exemplum Magistri imitantes discipulos, qui omnes unà cum Uxoribus & familiis Ecclesiæ sumtib9 sustentati fuerunt, docente Paulo 1. Cor. IX. 4. ubi nec ipse Paulus excludendus videtur, qui quamvis Corinthiis, Ephesius, Thessalonicensibusq; nullà remolestus fuerit, sed nocte ac die laboraverit, ne quenquam gravaret Act. XX. 33. 34. 1. Cor. IV. 12. 1. Thess. II. 9. 2. Thess. III. 8. attamen ab aliis eum etiam accepisse stipendium, clarè liquet, 2. Cor. XI. 8. Philipp. IV. 10. 14. seq.

§. VII. Opposita sententia adscribitur Joh. Wiclefo Prof. olim Academiae Oxon. qui inter alios articulos Papatui oppositos etiam art. 189. statuit *decimas esse puras elemosynas*, quâ de causâ in Concil. Constant. condemnatus & combustus fuit, referente Bellarm. Libr. I. de Cleric. Petr. Rebuffo de decim. quest. 13. p. 134. quam & pertinaciter propugnarunt Fratres Waldenses, & Anabaptistæ in Colloqv. Embd. ap. Schlüsselb. in confut. errorum de vitandis concionibus, & Sacramentis Evangelicorum Libr. XII. p. 487. negantes licere Ministris Verbi divini levare præmium laborum. Palmarium istorû argumentum, quod in contrarium afferunt desumitur ex Matth. X. 8. 9. ubi Christus ad discipulos abeuntes in Judæam: *Gratis accepistis, inquit, gratis date. Non possideatis aurum, neque argentum, neque es in crumenis, neque peram ad iter &c. Quem versum, si modò cum*

sequenti 10. & Lus. X. 7. conferrent, ultrò ipsis pateret expositi-
onem suam, quod Verbi Præconibus non debeatur laborum
præmium, locum habere non posse, nisi Christum sibi ipsi contra-
rium fuisse concedere vellent. Nobis enim manifestum est, lo-
qui ibidem Salvatorem pro materiâ substratâ, de sanationibus
scil. miraculosis & spiritualibus beneficiis: unde nos rectius ex
h. l. abominamur indulgentiarum nundinas, & simoniam apud
Pontificios, minimè interim negari ibidem stipendium Mini-
strorum, quin potius, uti demonstratum est, ibidem à Christo
approbari asserentes. Quod additur de non possidendo auro,
neque argento, speciale atque temporale hoc mandatum fuit,
concernens saltem hanc Apostolorum peregrinationem, eò sine
datum, ut curam victûs totam in Deum rejicerent, & sine morâ
exequerentur, quod jussi erant. Extra hunc casum & aurum &
argentum portare licuisse vel ex Judæ officio γλωσσόκομο Φόρος
patet. vid. B. Brochmand. T. II System. art. de Ministr. Eccles. c.
II. quæst. 14. B. Paul Tarnov. quæst. an fidelibus Eccles. Ministr.
&c. apud Dedekenn. Volum. I. Consil. Eccles. part. fol. 983.

§. VIII. Concludimus II. Christianos jam sub N. T. neq;
jure naturali, neque jure divino obligatos esse ad solvendas de-
cimas. Ubi statim observari volumus decimarum nomen haud
ἐν πλάτῃ in præsentiarum à nobis sumi, pro quocunque sacris
operantium stipendio, & medio ad vitæ sustentationem spectan-
te, sive decimam exasse partem exequet, sive infra sit, sive exce-
dat. *Ex vulgò enim decima dicitur, quæ est οκτάνα, vel interdum
vicesima, tricesima, aut quadragesima pars, quia loco decimæ
præstat ex consuetudine, & propterea decima nuncupantur.*
annotante Carpzov. loc. cit. Sed consideramus eas ratione
quanti h. e. in decima præcisè reddituum parte, quomodo olim
Judæis in lege divinâ determinatæ erant. Bellarmino h. l. placet
vox justitiæ pro obligatione, dum Libr. I. de Cler. cap. XXV. af-
firmat, Sacerdotibus ex justitiâ decimas deberi, quod opponit
tum Anabaptistarum Eleemosynis, donisque indebitis, tum no-
stræ Libertati Christianæ. Nos media incedimus viâ, utque ab
Anabaptistis discedimus, ita contra rigidiores decimarum exa-
ctores non deberi decimas affirmamus, neq; jure naturæ: Lex
enim

enim naturæ in debito gratitudinis subsistis citra determinatio-
nem quantitatis; neq; Jure divino requiri concedimus: Alioquin
enim obligatio ista vel dependeret à præcepto, quod populo Is-
raelitico fuit datum, & adhuc durare dicendum foret (*quam
sententiam Canonistarum in tertio Sententiarum Joh. Major.
quoad partem hanc rectè hereticam appellat referente D. Joh. A-
dam Osiandro in Observat. ad H. Grotii de J. B. & P. Libr. I.
Cap. I.*) vel illud præceptum divinum Veteris Test. obligaret
nos denuo sub Novo foedere ex peculiari confirmatione, ac ul-
teriori prorogatione à Christo facta, quod præter Scripturam S.
quis asserere ausit.

§. IX. Inter rigidioris autem sententiæ Patronos agmen,
uti paulo ante diximus, Bellarminus loc. cit. ducit. Cui ad stipu-
latur Marc. Anton. de Dominis libr. IX. cap. 2. & communiter
Juris Canonici Doctores plerique, copiosè ab Azorio Instit. Mo-
ral. Libr. VII. cap. 23. allegati. Quibus pollicem premunt è
Calvinianis Wilhelm. Zepperus de L. Mos. Libr. IV. cap. X, &
moderni Hierarchici Angli, juxta Osiandrum, qui in horum
numerum & H. Grotium refert, & ibid. loc. dict. refutat. Quos
nunc brevibus, quid pro affirmativa sua afferant videamus. Di-
cunt ergo (1) decimas etiam ante Legem à Mose latam fuisse in u-
su, exemplo Abrahami, Jacobi &c. (2) expressas Leges haberi E-
xod. XII. Levit. XXVII Num. XVIII. &c. quæ non solum cere-
moniales sint ratione populi Judaici, sed & morales respectu
Christianorum, & quoniam magis abundare debeat justitia
Christianorum, quàm justitia Scribarum & Phariseorum Matth.
V. ideo quoad hoc etiam punctum, si non magis, tamen æqvè
obligari Christianos censendum esse. (3) Christum ipsum Matth.
XXIII. 23. Luc. XI. 42. cum de decimis reddendis ageretur pro-
nuntiasse: hæc oportuit facere, & illa non intermittere. Quæ
argumenta in medium adducta, minimè sanè omnium, quod
debeant evincunt. Nam ad (1) in proclivi est respondere,
nullam hanc esse consequentiam. Quicquid ante Legem in u-
su fuit illud factum ex jure naturæ. Subsumo enim, Atque Sa-
crificia Abelis, Circumcisio, Polygamia in usu fuerunt, quis
tamen ex instinctu Legis naturæ hæc facta esse affirmet. Quid si

Cajetano assentiremur statuenti, quod Scriptura Gen. XIV. v. 20. speciem pro genere s. numerum certum pro incerto ponat. Jacobi verò exemplo Gen. XXVIII. v. 20. seqq. magis destruunt, quam adstruunt suum assertum; Nam expressè dicunt Sacrae Litterae Jacobum Deo decimas vovisse; constat autem Objectum votorum liberum, non necessarium, aut ex justitia debitum esse debere. Ad (2) Resp. Leges istae omnes, quae adducuntur ex V. T. nos in N. T. non obligare. Peculiaris enim causa erat, quare decima portio Levitis assignabatur, supra de Decim. Hebr. §. IV. explicata, quae hodie quidem expiravit. Neque robur istis addit locus ex Matth. V. 20. adductus quia ibid. Christus praecipit, ut sectemur justitiam Evangelicam, quae in fiduciali meriti Christi apprehensione consistit, estque planè alterius generis, quam justitia Pharisaica seu legalis. Vid. Summe Reverend. DN. D. Calov. in Bibl. Illustr. ad h. l. Vel si maximè cum quibusdam aliis Theologis ponamus, agi ibidem de Justitiâ legali, requiretur tamen justitiâ ex asse decalogo conformis ad quem decimae accuratè loquendo, non pertinent. Dicimus ad (3) nec hanc valere consequentiam, Christus ad Pharisaeos dixit non esse intermittendas decimas, E. in N. T. obligat Christianos ad illarum exhibitionem. Hoc enim ipso potius Mosis legem approbasse, durante videlicet Republicâ, & Sacerdotio Judaico fuerit dicendus.

ubi §. X. Concludimus III. Hodie sub Novo foedere decimas, & intermitti, & mutari posse. Quod ipsum Porisma ex antecedentibus fuit. Quod si enim Christiani nullo jure, nec divino, nec naturali ad solvendas decimas, quatenus sub hoc formali quantitatis spectantur obligati sunt, utique vel suspendi, vel mutari poterunt. Exemplis si opus foret multa oppidò ad manum essent; Primitiva sanè Ecclesia decimas ignorabat; multos in Affricâ non solvisse decimas Augustinus docet. De Normannis Adamus Bremensis refert, quòd suo tempore decimas dare aut nesciverint, aut noluerint. Contra easdem pugnarunt & Germani per Johannem Teutonicum (qui dictus Semeca) Praepositum S. Stephani Halberstadiensem, & Glossatorem decreti Gratiani, quem propterea Clemens IV. excommunicavit.

vit.

vit. Sed quid opus est aliena referre, nostro modo intueamur tempora, nostrasq; regiones, & videbimus plerumq; nullas in Civitatibus decimas, sed certa stipendia aliaq; vivendi subsidia ministerio esse constituta. Neque multum interest, siue decimarum præstatione, siue alio modo Ministerio succurratur, modo Magistratus, qui Nutritius Ecclesiæ, ipsius Spiritus S. elogio Es. XLIX. 23. c. LX. v. 17. audit, hoc in puncto officio suo satisfaci- at, ut Ministerium Ecclesiasticum commodâ honestâqve utatur sustentatione, nec vel inopiâ rerum necessariarum laborare, vel indignis sorte, ac conditione suâ artibus vitam tolerare cogatur, & ex hoc fundamento decimæ nullo modo abrogari possunt. Vid. Magnif. Ziegler ad Lancell. l. d. Canisius de Decimis Cap. III. n. 7. Andr. Rivet. in Genes. Exerc. LXXX. Gisbert. Voët. Polit. Eccles. part. I. libr. IV. tr. 3. c. 5.

§. XI. Nihilominus Concludimus IV. Et hoc verè dici posse obligationem, ad decimas solvendas descendere ex jure & naturali, & divino, eoq; tum morali, tum Ceremoniali, tum denique forensi, ac tandem Ecclesiastico. Ubi nobismet ipsis, uti videri quidem poteramus, contrarii non sumus. Cæterum, ut Homonymia decimarum pateat dilucidius, ac distincta tempora probè discernantur hæc observamus. Nimirum aliter se habet obligatio ad decimas in V. T. ante latam legem Mosaicam, aliter post datam, aliter denique in N. T. Par utrobique obligationis est ratio, si materiale, fundamentum, siue *substantiam decimarum*, uti loqui amat Selden. de Synedr. Libr. I. cap. 3. pensites; sub utroque fædere jure naturæ conveniens est, adeoqve ad moralem legem pertinet decimarum collatio, h. e. jus naturale & morale jubat alimenta præbere Ministris ecclesiæ, eisque pro labore, quem Sacris rebus impendunt gratias referre; Cum verò decimæ strictè, formaliter & specialiter, quoad determinatam quotam, quam notio infert considerantur jure equidem divino ceremoniali, & forensi ad eas populus Israeliticus omninò, ex morali autem seu naturali nunquam obligabatur. Ubicunq; verò locorum inter Christianos more ac instituto Majorum receptum est, ut decima præcisè proventuum portio in Ecclesiæ commodum erogetur, observatio tunc ista, non ex obligatione præce-

præceptorum Mosaicorum Judæos solum attingente; sed sal-
tem ex voluntariâ imitatione, & sapienti Magistratûs Politici san-
ctione promanat, cui omni etiam ratione, ac modo illos, quibus
obsequii gloria relicta est inhærere convenit: nec iis, qui Spiri-
tualia sibi seminant corporalium indulgere messem gravari;
Cum alioqui nonnullos verbi divini Præcones se sperni planè,
ac nihil sibi, nisi sordes relictas animadvertentes, tardas operi
sacro admoveere manus non rarò videas. Quod si autem æqvif-
simam sui rationem haberi, nec invideri sibi pastoribus de grege
fructum condignum, ac ubera præberi intelligant; quotus quis-
que non vicissim corporis animique intendet nervos, ut calide
imprimis Domini ferveat opus, strenueq; succedat, ac ut omnia
sua studia, atqve labores ad ArchiEpiscopi sui Christi honorem-
que ac gloriam colliment sedulò enitatur, juxta atq; elaboret.
Quem finem, ut & nostrum hoc qualecunqve specimen, sicut
unicè intendit felicissime consequatur, æternam ejus Numen ca-
lidissimis præcibus, votisque veneramur supplices, atq;
imploramus.

S. D. G.



coll. diss. A. 92; univ. A.